*ſa ſolitum eſitare ſimilam dixerim; nec hujus tamen beneficio, ut S. Godehardus more ſuo jocabatur, evaſiſſe conditionem mortalium. At S. Godehardum abſtinuiſſe, cùm uti ſoleret, ut illud breve reliquum vitæ duriùs exigeret, aut pane ſecundario ſe magis roboraret. Sed res in conjectura eſt.*

# ELOGIUM

## *ex pervetuſto poëmate, quod de* B. MEINWERCO fundatore ſuo, Paderbornæ aſſervat Abdinghoffenſis Abbatia.

*HÆc de Meinvverco narret breviter modo ſermo,*
*Cujas extiterit, Domino placuitvé, quid egit,*
*Ut celerem vitâ veniam mereretur in iſtâ:*
*Saxo natus erat, bene relligione cluebat,*
*Unus primorum conſiſtens nobiliorum,*
*Pollens magnarum dominatu divitiarum.*
*Imaduſque Comes pater ejus, & Attyla mater.*
*Doctus divinis primævo tempore libris,*
*Fit Cappellanus Heinrici Regis amatus.*
*Paderbornenſem ſub eodem tempore ſedem*
*Suſcipit invitus, magnâ Regis prece victus.*
*Attamen Eccleſiæ valdè bene præfuit iſti*
*Omnigenâ cura, tractus mercede futurâ;*
*Pro meritis ſacris, quæ juſtis fertur in aſtris.*